Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Iste nachor cum exisset de chaldea ducta in uxorem melcha filia fratris sui aram extincti moratus in carran mesopotamie mortuo ibi suo patre. et abram in terram chanaan peregrinante. hos tres fratres. hus. buz. batuel. cum alijs .v. genuit de quorum uno. scilicet buz. descendit balaam. qui secundum hebreos dicitur in iob eliud buzites.

Abraham suffocato aram adoptans filium eius loth ducta in uxorem sarai cum patre peregrinatus est in charran. Inde mortuo patre uenit in sichem. et inde pentapolim. postea collocans tabernaculum inter bethel et ai. cum in egypto uxorem simulasset sororem. rediens in ualle mambre habitauit. confederatus tribus fratribus; Qui cum de occisione .v. regum ueniens. a melchisedech decimas accipiente honoratus fuisset. signo dande plus. in pecudibus et auibus suscepit.

Hanc cethuram abraham duxit in uxorem mortua sara. Quidam tamen dicunt eam fuisse agar que de concubina facta est uxor. Quod sonat interpretatio. nam cethura dicitur copulata.

Iste loth cum exisset de sodomis subuersis .v. ciuitatibus genuit hos duos. moab. et amon. de filiabus ebrius factus.

Abraham arimethicam et que de astronomia sunt egyptijs tradidit. ipsi uero postea grecis.

Hos duos cum alijs .x. genuit ismahel. de uxore egyptia.

Ysaac cum laborante in partu rebecca oraculum de esau seruituro iacob audiente apud abimelech in gerare cum uxorem dixisset sororem de semine centuplum colligens tribus puteis eruderatis. et quarto facto ibidem federe inito cum abimelech. et phicol esau reprobato iacob ignarus benedixit.

Hanc rebeccam adduxit eliezer seruus abrahe ysaac de mesopotamia sororem labaan filiam batuel.

Esau hispidus uenator uenditis primogenitis a lenticula fului dictus edom. ductis uxoribus chananeis iudith. et beth. samath supplantatus a fratre in benedictione redeunti iacob de mesopotamia cum cccc. uiris pacificus occurrit.

Iste iob ut tradunt quidam fuit secundus rex. post bale in edom. qui et in genesi dicitur iobab pronepos esau. sed hebrei dicunt eum descendisse de hus primogenito nachor.

Iste balaam qui in iob dicitur eliud. descendit de buz. qui a balac conductus ut malediceret israel. ei benedixit. loquente pro se asina. et de ortu stelle et saluatoris prophetauit.

De filiis iacob numerosa proles descendit. sed de leui et iuda sufficiat. quia de his descendit xpc.

Iacob fratre tum in primogenitis tum in benedictione supplantato in mesopotamiam proficiscens. cum in uisione iuxta luzam titulum erexisset; et pro rachel et lia seruitium .xiiii. annorum complesset; pacto de alijs .vi. annis mutatione mercedis .x. uicibus completo. cum uxore et filijs .xi. a laban furto sublatis idolis a rachel recedens. in galaad est comprehensus. Inde cum laban federe inito in lapidibus ad manaym ubi castra angelorum uidit proficiscens ordinatis turmis uadum iacob transiens matutina lucta leso neruo cum angelo completa mutatione nominis facta premissis muneribus fratri suo tremebundus occurrit. Cuius filia dyna a sichem oppressa et sichimitis in dolo occisis. iussu dei ipse in bethel altare erexit. et domum purgauit. in eufrata eo ueniente et rachel in partu beniamin expirante. cum turri trium gregis tabernaculum fixisset; postea tempore famis in egyptum descendens. ubi a filio ioseph honorifice susceptus. respondens pharaoni de etate benedictis per ordinem filiis uitam terminauit.

Duo filij caath de altero sufficiat tantum dicere quia de eo fuerunt sacerdotes.

Isti sunt filij iude de sue.

Istam thamar cum dedisset duobus filijs her et onam. et illi ob ignominiosum scelus perissent remisit uiduam in domum paternam. timens eam tradere sela quam ei debebat secundum legem suscitandi semini. de qua postea seducente in biuio mutato habitu uadens iudas sua siue mortua cum yram opilione ad tondendas oues phares. et zaram. ad unum concubitum genuit suspicans esse scortum. Que postea ducta ad patibulum tandem in adulterio deprehensa. per arrabonem anuli. baculi et armille se liberauit.

Isti sunt duo filij ioseph quorum utrumque facit tribum pro se remota tribu leui a sorte hereditatis.



SB L